



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

IX. Dialogo de orthodoxa fide,

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

Homilia nota membris tribus in unum compactis confata est. Pars prior nihil aliud est quam Origeniani tractatus trigefimi quarti in Matthaum portio; unde nonnulla confulto expuncta sunt; quod iis doctrina minus sana contineretur. Ea vero pars quae ab his orditur verbis: *A plerisque conscientia accipitur peccatorum*, &c. & in iis definit: *Acto ualde modo paucis uerbis expressus est ignis gehennae*, desumpta est ex libro octavo Commentariorum Hieronymi in Isaiam. Reliqua suppeditauit caput 17. libri 5. Moralium Gregorij Magni.

Decimam Homiliam non esse Origenis statim agnosceat, quisquis nares habuerit. Alienus est stilus ab Origene, aliena clausula, aliena schemata, synonyma, antitheses, allusiones, colores arte quaesiti; quae omnia Origenianam simplicitatem non sapiunt. Allegoriae praeterea nullae, nullae tropologiae. Si quid coniectura ualeo, Scriptorem Latinum dixerim.

Ea certe est prima, tertia, quarta, quinta, sexta, septima, octaua, & decima congruentia inter se & similitudo, ut pene affirmare ausim unius esse omnes & eiusdem Auctoris, atque ejus, ut dixi, Latini: secunda alterius est Scriptoris: nona confuta est triplici trium Scriptorum fragmento. Ab Origene autem nulla penitus profecta est, praeterquam prior illa nona particula.

VI. Michael Ghislerius in Praefatione ad suos in Ieremiam Commentarios, c. 7. paragra. 4. narrat in Vaticano quodam Codice Graeco repertas sibi Origenis Homilias in Ieremiam viginti; earumque postremam, etiam id indicaret titulus, nequaquam tamen ad Origenem pertinuisse. Subnectit postmodum ea jam edita competisse se non Origenis Homiliam, sed insignem esse Clementis Alexandrini Tractatum, cuius meminerunt Eusebius, Hieronymus, & Photius, qui quae ita inscriptus fuit: *προς ο συνζητησιν παρισιν*.

VII. Scholia in Orationem Dominicam, & Cantica B. Virginis, Zachariae, & Symeonis Graece cum sua interpretatione Latina edidit Federicus Morellus, sub nomine Origenis, siue, ut ipse appofuit, alterius Doctores *πυργου*, eaque se à veteri manuscripto Codice ex Italica Bibliotheca profecto selegisse, excerpisse, translulisse declarat. In ipso Scholiorum titulo Graeco nomen Origenis nequaquam offendas, sed illud duntaxat: *αιωνιου γρηλια εις εβραϊστικον*. Vnde ab ipso Morello nomen Origenis suppositum suspicor. Bene uero est quod Petrum Laodicensem legitimum auctorem ex Bibliotheca Patrum Tomo priore cognoscimus, in quo Scholia haec in Orationem Dominicam Latine uersa cum illis Germani Patriarchae Constantinopoli conjuncta in unum & permista reperiuntur. At qui Morelli Codex Scholia in Cantica eidem tribuebat, cui & Scholia in Orationem Dominicam; & id persuadere potest stili similitudo.

VIII. Ad finem librorum *αδελφικων* attexi solet libellus, qui Lamentum Origenis inscribitur. Huius interpretationem Hieronymo tribuit Guido Carmelita, in Haresi Origenistarum; tribuit & editio Merlini, & Codex manu exaratus Bibliotheca Regiae. Sed contra Erasmus, *Lamentum hoc*, inquit, *nec ab Origene scriptum est, nec ab Hieronymo uersum, sed figmentum est alicujus indocti, qui studuerit huiusmodi colore Origenem infamare. Simili artificio sine-ram Epistolam Hieronymi titulo, in qua deplorabat quod aliquando cum Origene sensisset. Et Gelasius in Concilio Romano: Liber qui appellatur De poenitentia Origenis, apocryphus. Mirum itaque sine falsitatis nota à Theologis quibusdam librum hunc nonnumquam in testimonium citari, & inter genuina Origenis opera à Vincentio Bellovacensi reponi. Hic uero ridentur da est Heterodoxi cujusdam hujus aetatis supinitas, qui lamentum Origeni adscriptum, à libro De poenitentia diuersum quid esse putauit.*

Vinc. nell. Spec. doct. lib. 18. c. 43.

IX. Dialogum De orthodoxa fide, qui & contra Marcionistas inscribi solet, Origeni tribuere uidentur Basilus, & Gregorius Nazianzenus. Cum enim ex Operibus mere Origenianis Philocaliam constare se professi sint, fragmentum è parte tertia Dialogi istius depromptum in Philocaliam coniecerunt. Itaque illum esse Origenis credidisse illos perspicuum est. At inducitur in eo Dialogo Origenes probatam in Ecclesia de tunicis pelliceis Adami, & de corpore humano, & anima, deque resurrectione sententiam propugnans; cum alia sensisse ipsum supra ostenderimus. Vnde opellae hujus scriptor nequaquam credi potest. Praeterea ad finem fragmenti hujus quod Philocaliae insertum est, Scholion istud reperiri solet: *ταυτα δα το τε ζ' λογον η εδουθεν τε παυσιλου διαγαλινης σεσωθροσουδης σεσθεβλην. μαξιμου δε ειπον, ως φησιν ο αυτης δισθησιν, οση αστιμου εν τις χειρατοις συγραψατος αυτου. ζει δε οδρον ταυτα κειμενα η εν τοσ αεραθους σεσεσθεβληναι, η ενδους αιρετικουσ εβραδου, εβροπιου αναζησιν, μαριθης η απηλεροσιν. Hac è septimo libro Evangelicae Praeparationis Eusebii Pamphili deprompta sunt. Sunt autem Maximi, ut ait ipse Eusebius, non ignobilis inter Christianos Scriptoris. Totidem uero uerbis scripta ea inueniuntur in Origenis aduersus Marcionistas, aliosque Haeeticos Dialogo, agente Eutropio, defendente Megethia. Reuera Eusebius libro 7. De praepar. Evangelic. fragmentum id exhibet, & ex Maximi libro *αδελφικων* sese mutuatum esse tradit. Vtris autem plus habeamus fidei, Basilio & Gregorio, opus id Origeni tribuentibus; an Eusebio idem Maximo assignanti, ambigendum non est: saepe quippe ostendimus neminem in per-*

A scrutandis Oigenis rebus tantum adhibuisse curam & solertiam, quantam adhibuit Eusebius. Veri autem simile est habitam revera fuisse Origeni cum Megethio, Marco, aliisque Hæreticis concertationem; at à Maximo deinde in literas relatum, & Operi suo *ὄσι δ' ἄνε* intexam. Fidem his conciliat quod narrat Eusebius, ab ætatis suæ Presbyteris quamplurima de Origene scriptis fuisse tradita; & quod Dialogi scriptor Reges quosdam Christi fidem amplexos, & templa Ethnicorum cum idolis eversa commemorat; nihil enim hujusmodi Origenis temporibus contigit, sed Constantini: unde Maximi ætatem possis colligere. Fefellit fortasse Basilium & Gregorium Dialogi titulus nomen Adamantij præferens, quod in eo primas partes tractet Origenes; quemadmodum Lælij, & Catonis nomina præferunt Dialogi De amicitia, & De senectute; non quod à Catone, vel Lælio scripti sint, sed quod primæ ipsi partes tribuantur. Mirandum porro non est interloquentium personarum nomina neque in Eusebio, neque in Philocalia comparere: nam cum rubrica, aliove colore ejusmodi nomina & lemmata soletur distingui, à librariis sæpenumero distinctio hæc omitebatur, vel per incuriam, vel potius quod eam in commodius rejicientes tempus, penitus tandem, obliviosi quippe homines, prætermitterent. Duplicem lucubrationis hujus interpretationem Latina Genebrardi præfert editio, alteram Joachimi Perionij, Laurentij Humfridi alteram. Alia præterea à Iohanne Pico Senatore Parisiensi lucubrata anno 1556, seorsum edita extat.

X. Alium quoque, Origenis nomine Dialogum supposuerat Hæreticus quidam, omnem licet cum eo Ephesi forte sibi viso congressum ac disputationem detrectasset. Fictitiam scriptionem misit Romam ad suos discipulos, passimque disseminavit, & Antiochiæ, priusquam illuc accederet Origenes, ob falsam victoriæ inanes egit triumphos: mox vero ut affuit Adamantius, hominis contudit proterviam, & vanitatem manifestis argumentis convicit.

XI. Falso quoque præscribit sibi nomen Origenis libellus quidam, qui Philosphorum sectas ac dogmata recenset, & *ὡς ὁρθῶς φιλοσοφῆναι* solet appellari. Primus autem hic est liber grandioris operis, quo Hæreses omnes confutandas Auctor sibi proposuerat, quod ex Dogmatis Philosphorum, Hæreson pestes fere profectæ sint; hisque convellendis utilis sit illorum confutatio. Larvata huic scriptioni personam detrahitur vel verba isthæc quæ extant in Proœmio: *πῶτα ἢ ἴππεσσι ἢ ἰλέγεσσι ἢ τῷ ἐν ἐκκλησίᾳ ἁγίᾳ δεδωκένῳ ἄξιον ἀνέμωμα, δὲ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἢ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἀποδοῦναι τῆς ἰσχύος πνευματικῆς ἢ τῆς ἐκκλησίας πνευματικῆς, ἢ τῆς ἀποστολικῆς κληρονομίας, ἢ τῆς διδασκαλίας, ἢ τῆς ἐκκλησίας διδασκαλίας, ἢ τῆς ἐκκλησίας διδασκαλίας.* Hæc autem non alius coarguet, quam traditum in Ecclesia Spiritus sanctus: quem cum primitus accepissent Apostoli, is communicavit qui recte de Deo sentiebant: quorum nos cum successores sumus, & ejusdem gratiæ participes, necnon Episcopatus, & magistratus, & custodes Ecclesiæ reputati, non oculis per seculum dormitabimus. Atqui nec Ecclesiæ custos Origenes, nec Episcopus fuit. Episcopus autem fuit Epiphanius, & librum scripsit De hæresibus: unde non inanis conjectura sumitur hoc opus ad ipsum esse referendum.

XII. Libellum De singularitate Clericorum Origeni addidit vetus Codex Regiæ Bibliothecæ. Addicunt & Landulfus à Columna in Breviario historiali, Laziardus Cœlestinus, Ahtoninus, & Vincentius Bellovacensis, quos recenset Pamelius; & quibus ipse succinit, cum in Præfatione ad tertium Tomum Cypriani, tum in argumento libri hujus, & in Annotationibus ad caput primum libri Tertulliani De exhortatione castitatis. Sed reclamant Baronius, quod hoc opere sceminarum contubernium Clericis interdicitur; cum inter mulieres & puellas Origenes assidue sit conversatus. Addit id fuisse causæ cur scriptus ab Adamantio iste liber creditus sit, quod spontaneam castrationem non improbaretur; atque hoc idem argumentum usurpavit Pamelius: *Atqui, inquit Baronius, debuerunt hi meminisse aliquam ex parte laudatum quoque à Domino villicum illum iniquitatis, cum aliqui idem auctor de his qui hæc perpetrarent, alio Commentario se tractaturum spondeat.* Vtilius respondisset Baronius, si dixisset executionis suæ Origenem pœnituisse, & à simili facinore reliquos absterruisse in Commentariis ad Evangelium Matthæi. Quod ergo in argumentum traxerunt nonnulli, ut librum De singularitate Clericorum Origeni adscriberent, quod nempe voluntariam genitalium amputationem non damnaverit, id ipsum indicio mihi est librum non esse Origenis; quippe quem annis proveciorem facinoris in juventutis calore admitti pœnituerit. Baronio ex Origenis familia factum hunc depellenti ad stipulatur codicum dissenso, quorum alij Hieronymo, Augustino alij, plerique Cypriano assignant. Erasmus ad calcem libri Augustini De bono viduitatis, *Sequebatur, inquit, hoc loco libellus De singularitate Clericorum, qui toties & Hieronymi, & Cypriani nomine excusatus est, quum phrasi, nec Hieronymum, nec Cyprianum, nec Augustinum referat: proinde non est visum eo præsens volumen onerare.* Belarminus neque Origenis, neque Cypriani, sed Latini tamen Scriptoris esse censet. Pamelius autem, & post eum Rivetus, ex Hellenismis quibusdam suspicati sunt è Græco Latine *Belarm. De script. Eccl. in Cypriano. Rivet. Cr.*